Eruditissimo Viro
Paullo Danieli Longolio
S. P. D. Burmannus

minime diffiteri possum me tardiorem ad scribendum ab aliquot hinc annis factum, partim quia undique tot ad me venientibus epistolis, magnam mihi temporis, cujus maxima mihi semper fuit caritas, partem eripi videbam, partim quia plerumque verborum quibusdam honoribus omnis scriptio absolveretur, quibus paria reddere candor et consuetudo saepe vetabant. quare sensim id consecutus sum, ut omne fere quod olim, licet invitus, in Italia Gallia Britannia et in Germania habebam cum viris eruditis commercium, conticuerit, ex quo instituto id commodi ad me redundavit, ut totum me ad labores, quibus non exiguis, qua publicis, qua privatis saepe exerceor, referre liceret, et aetati jam ingravescenti majus otium et quies compararetur. Non ita tamen obmutescere decrevi, ut non officii mei ergo literatos, qui opera mea uti volunt, confes

dummodo non alternis semper scribere et
aequare aliorum diligentiam compellar. et
hinc etiam Cl. Cortio, assiduo satis flagitatori,
ultimis ejus vitae annis, non semper ex ejus
voto et desiderio satisfacere potui. Ne ergo tu
et Cl. Clodius, qui tecum criminis ejusdem
me reum agit, succenseatis, quaeso, quod epistolis
vestris nihil adhuc reposuerim. Juvenem quem
mihi commendatis, benevolentia et voluntate
prolixa suscipiam, et si disciplina mea uti
volet, non modo sine ulla mercede, sed
etiam opera et studio omni adjuvabo, ut
nullius querelis locus relinquatur, quasi vestra
commendatio nihil ponderis habuerit. Atque
vero doctissimo ejus patruo verbis meis signifi-
care ut velis oro. De Suetonio edendo
non modo fixum et ratum manet, sed omnia
jam typis ita sunt parata, ut si quid mihi
humanitus contingat, ab alio quocunque
in lucem proferri possit. Non aegre itaque
feres, si desiderio tuo minus satisfaciam,

neque tibi, eidem stadium decurrere parato,
ea subministrarem, quae ipse congessi. non
tamen hoc a consilio, quod inisti, te deterrere
fas est, cum unicuique suum placere debeat
institutum, et sine aliorum opera partes
sunt agendae. de tempore nihil adhuc consti-
tui, licet flagitent meam operam bibliopolae,
quorum ego sordes et flagitia in dies
magis magisque odisse incipio, et quia ab
avaritia et lucro ex scriptis turpi faciendo
longe absum, non tam promptum et paratum
me illis praebere volo. detinet etiam major,
quam Virgilio et Claudiano quotidie impendo,
cura, qua antequam supremus, quem non
longe abesse senectus appropinquans monet,
dies adveniat, liberari cupio. Ceterum si qua
in re mea tibi opera prodesse possit, nullus
deero, si id commodo meo facere liceat.
Vale, vir doctissime, et cl. Clodio meis verbis
salutem plurimam dic. Leidae a. d. XVIII Sept.
CIƆIƆCCXXII.

Viro doctissimo

Paullo Danieli Longolio

Lipsiam